



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 35. Aliæ ejusdem propositiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A. C. 1567.

turali statim initio creationis constitu-
tæ justo Dei judicio deputandum est,
neque in hac retributione bonorum ad
Christi meritum respicitur, sed tantum
ad primam institutionem generis hu-
mani, in qua lege naturali constitutum
est, ut justo Dei judicio obedientiæ
mandatorum vita æterna reddatur.

§. XXXV.

Aliae ejusdem propositiones.

Ex Libro II. de meritis operum.

XII. Pelagii sententia est, opus bonum,
citra gratiam adoptionis fa-
ctum, non esse regni cœlestis merito-
rium.

XIII. Opera bona a filiis adoptio-
nis facta non accipiunt rationem meriti
ex eo, quod fiant per spiritum adoptio-
nis inhabitantem corda filiorum Dei,
sed tantum ex eo, quod sint conformia
legi, quodque per ea præstetur
obedientia legis.

XIV. Opera bona justorum non ac-
cipiunt in die judicii extremi amplio-
rem mercedem, quam justo Dei judi-
cio mereantur accipere.

XV. Docet rationem meriti non
consistere in eo, quod, qui bene ope-
ratur, habeat gratiam, & inhabitantem
Spiritus Sanctum; sed in eo solum,

E 3

quod

Sæcul. XVI
A. C 1567.

quod obediatur divinæ legi: quam sententiam sæpe repetit, & multis rationibus probat toto fere libro.

XVI. In eodem libro sæpe repetit, quod non sit vera legis obedientia, quæ sit sine charitate.

XVII. Dicit sentire cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam sublimetur ad statum Deificum.

XVIII. Dicit opera Catechumenorum, ut fidem, & pœnitentiam, antè remissionem peccatorum facta, esse vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

XIX. Videtur insinuare, quod opera justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerint majorem valorem.

XX. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

§. XXXVI.

Ex Libro I. de prima hominis
justitia.

XXI. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ
con-